



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De operatione ejus qui diligit Deum, 28

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

transitoria amantur. Ejice ergo quod malum est, ut quod bonum est, percipere possis. Effunde amaritudinem, ut dulcedine impleri possis. Spiritus sanctus gaudium est & amor. Ejice spiritum diaboli, & spiritum mundi hujus, ut accipias spiritum Dei. Spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis, & spiritus mundi gaudium vanitatis. Et, hæc gaudia mala sunt, quoniam alterum habet culpam, alterum occasionem culpæ. Veniet autem spiritus Dei, cum ejecti fuerint spiritus mali: & intrabit tabernaculum cordis, & operabitur gaudium bonum & amorem bonum: quo expellitur amor mundi, & amor peccati. Amor mundi allicit & decipit: amor peccati polluit, & ad mortem adducit. Amor Dei mentem illuminat, conscientiam mundat, animam latificat, & Deum demonstrat.

C A P V T XXVIII.

De operatione ejus qui diligit Deum.

I. **I**N quo amor Dei est, semper cogitat quando ad Deum perveniat, quando mundum derelinquat, quando carnis corruptionem evadat, ut veram pacem inveniat: semper habet cor suum & desiderium in superna elevatum. Quando sedet, quando ambulat, quando requiescit, vel quando aliquid agit, cor à Deo non recedit. Omnes ad amorem Dei exhortatur. omnibus amorem Dei commendat: & quam dulcis sit Dei amor, & quam malus, & quam amarus sit

amor sæculi, corde, ore, & opere omnibus demonstrat.

2. Deridet hujus sæculi gloriam, arguit sollicitudinem: & quam stultum sit, in iis quæ transeunt fiduciam habere, ostendit. Miratur cæcitatem hominum, qui hæc diligunt. Miratur etiam quomodo universa hæc transitoria & caduca omnes non derelinquunt. Omnibus existimat dulce, quod sibi sapit; omnibus placere, quod diligit; omnibus quidem esse manifestum, quod cognoscit. Frequenter Deum suum contemplatur, & in ejus contemplatione suaviter reficitur, tanto felicius, quanto frequentius. Dulce est enim semper ad considerandum, quod ad amandum & laudandum semper est suave.

C A P V T XXIX.

De vera cordis requie.

1. **R**evera hæc est vera cordis requies, cum totum in amorem Dei per desiderium figitur; nec quidquam aliud appetit, sed in eo quod tenet, foelici quadam dulcedine delectatur, delectando jucundatur. Si vero vana aliqua cogitatione vel rerum occupatione inde aliquantulum abstractum fuerit, summa cum festinatione illuc redire festinat; exilium reputans, alibi quam ibi moram facere. Nam sicut nullum est momentum, quo homo non fruatur vel utatur pietate divina; sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria,

2. Idcirco